

CAPITOLO X.

Che si distribuiscano ogn' anno nel giorno della Candelora le candele dal Signore, e Camerlenghi nell' Ospedale di San Rocco, e non altrove, il suddetto giorno della Candelora, e nelle due feste seguenti solamente alli Scaricatori della Compagnia, e non ad altri: avvertendo che quella del Signore sia di peso di due libre, quelle delli Camerlenghi d' una libra, e quella di tutti l' altri d' oncie tre.

CAPITOLO XI.

Che per mantenere la pace, unione, e rispetto dovuto alli Superiori tanto necessario, nessun Scaricatore ardisca dir parole ingiuriose al Signore, e Camerlenghi, in ordine però a negozj della Compagnia, sotto pena di libre cinque di cera bianca per ciascheduna volta d' applicarsi alla Chiesa di San Rocco, ed altre pene più gravi secondo li casi, ch' occorreranno ad arbitrio delli Signori Primicerio, e Guardiani di S. Rocco.

CAPITOLO XII.

Che nel giorno della Festa di San Rocco si debba fare adunanza, nella quale si debba fare il Signore con imbufole tutti della detta Adunanza, e poi cavarli, e chi rifiuterà non voler accettare la Signoria, debba pagare quello, che si contiene nel primo Statuto.

Joannes Baptista Somellinus C. A. Clericus.

Joannes Guinius.

Petitur confirmatio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subijungebat prefati exponentes Statuta hujusmodi apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiti summopere desiderent;

Confirmantur.

§.3. Nos illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta praesentia cum omnibus, & singulis in eis contentis dummodo sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula.

§.4. Decernentes illa, necnon pra-

sentis Literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima Februarii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Derogatio contrariorum

Dat. die 10. Februar. 1638. An. XV.

DLXIII.

Annulatio Capituli Provincialis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum Provinciae S. Bernardini in Gallia celebrati in spretum, & contemptum Literarum Apostolicarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum, sicut accepimus, in Provincia S. Bernardini Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallia, fuerit de mense Septembris proxime praeteriti Capitulum Provinciale dictae provinciae celebratum cum assentia, jussu, & mandato dilecti filii Martialis de la Chamette, dicti Ordinis Professoris, praetensi Visitatoris a dilecto filio ejusdem Ordinis Ministro Generali ad id deputati, in spretum, & contemptum nostrarum in simili forma Brevis literarum, per quas dilectus pater filius Romanus Cupis ejusdem Ordinis etiam Professor in eisdem Provincia, illiusque Fratrum Commissarium, & Visitatorem deputatus, seu delegatus fuerat.

Motiva hujus Constitut.

§.2. Imo vero a prefatarum literarum executione ipsius Martialis nomine interposita ad Nos, & Sanctam Sedem Apostolicam appellatione, negotium hujusmodi ad Venerabiles Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis Regularium praepositos, ut examinaretur, & a dilecto filio nostro Francisco S. Laurentij in Damaso Diacono Cardinale Barberino nuncupato S. R. E. Vice-Cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, dictique Ordinis apud Nos, & eandem Sedem Protectore decideretur, remissum fuerit.

Remittitur contrav. Sac. Congreg.

§.3. Nos rationibus pro utraque parte allegatis, & deductis mature consideratis, accurateque discussis; De eorumdem fratrum consilio, Capitulum Provinciale, praedi-

Declarat Capitulum nolum, prout in rubr.

dictum cum omnibus inde sequentibus fuisse, & esse nullum, nulliusque roboris, vel momenti existere, apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus, illudque irritamus, revocamus, & annullamus; Eundemque propterea Martialem, omnesque alios, qui praedictis nostris literis, ac mandatis Venerabilis Fratris Episcopi Bitterrensis illarum executoris resistere, vel alias contraire ausi sunt, praeter censuras, & poenas in eisdem literis comminatas, & per eos incurfas, ad quaecumque dicti Ordinis officia, munia, & dignitates inibi imposterum obtinenda inhabiles, vocisque activae, & passivae beneficio ad nostrum, & ejusdem Sedis Apostolicae beneplacitum declaramus, ac eundem Romanum in praefati Visitatoris, & Commissarii hujusmodi officii possessione manutendum esse, & fore decernimus.

Praeceptum de observando.

§.4. Mandantes propterea omnibus, & singulis dictae Provinciae Fratribus, & personis in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis, & alius arbitrii nostri poenis, ut eundem Romanum in Visitatorem, & Commissarium hujusmodi habeant, & recognoscant, illique debitum honorem, & obedientiam in quocumque dictae Provinciae Visitacionis actu persciendo praesent: ac eidem Romano, ut peracta per ipsum Visitacione hujusmodi, denuo Capitulum Provinciale dictae Provinciae indicere, intimare, ac celebrare, & vocatis vocandis iuxta seriem, & continentiam earumdem nostrarum Literarum absolvere omnino debeat; ac decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque per quoscumque Commissarios, & quosvis alios quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinibus, & Provinciis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis dicti Ordinis, & Provinciae hujusmodi Superioribus, & personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam alias, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes,

illis alias in suo robore permaneris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die decimaquinta Februarii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Dat. die 15. Februar. 1638. An. XV.

DLXIV.

Circa Lectorum Jubilationem Fratrum Minorum de Observantia Cismontana Familiae.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum, sicut accepimus, ex frequentissima, immeritaque Lectorum Jubilatione in Cismontana Familia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum quamplures querelae, multaque, & graviora incommoda in eadem Familia redundarint, ac de remedio incommodis hujusmodi adhibendo, cum primum illa ad dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, aures pervenerunt, tractatum fuerit;

Motiva.

§.2. Nos, qui Religiosorum Ordinum pacem, & unitatem sinceris desideramus affectibus, ut querelis, & incommodis hujusmodi obviam eatur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus, ut Lectores jubilati iuxta praescriptum Literarum fel. record. Clementis Papae Octavi Praedecessoris nostri, necnon generalium dicti Ordinis Constitutionum pluries renovatarum, ac postremo in Capitulo Generali dicti Ordinis in Civitate Toletana celebrato instituantur, ita quod nullus posthac ad jubilationem admittatur, quin prius Logicam, & Philosophiam tres annos, ac Theologiam decem absque ulla intermissione edocuerit, vel si intermittere contigerit, duodecim annos Theologiae Lector extiterit.

Lectores Jubilati instituantur juxta Ord. Concl.

§.3. Singulis quibusque annis publica, & authentica attestatio a Guardiano, & Discretis eorum manu propria, & juramento firmata, Conventusque sigillo ob-signata conficiatur, & in publico Conventus Archivio servetur, ubi cum opus fuerit, reperiat. Ut Theologiae lectio in ordine ad futuram jubilationem non introducat, nisi ubi studia formata viguerint, & generalia, atque a Capitulo, & Congregatione generalibus instituta. Quod Lectores, qui non intervenientibus pra-

prædictis conditionibus per Provinciam, vel per Superiores generales ad jubilationem admitti reperientur, eo ipso nulliter jubilati censeantur.

§.4. Ut numerus Lectorum jubilarum restringatur juxta dispositionem Capituli Generalis in Alma Urbe anno 1612. celebrati pro Ultramontana familia, videlicet, ut pro unoquoque Studio generali in singulis Provinciis existenti, duo tantum jubilati permittantur, & quolibet deficiente, loco ipsius alter sufficiatur, qui lectionis cursum prius absolverit. Demum pro servanda in Provinciis dicti Ordinis tranquillitate, reprimendisque querelis in hac Curia in dies exurgentibus, eo quod plurimi non probato legitime lectionis tempore, & cum majorum deceptione Superiorum, jubilationem obtinuerunt, statuimus pariter, & ordinamus, ut præfate more informationes, & temporis ad lectionem constituti attestations per Ministros Provinciales de novo conficiantur, & ad Generales Superiores firmata, sigillataque remittantur, ut hac ratione relaxationibus, & abusibus obviam eatur.

§.5. Mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Cismontanæ Familiæ Ordinis hujusmodi Superioribus, Fratribus, & personis quocumque nomine nuncupatis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, aliisque arbitrii nostri poenis, ne circa prædictorum lectorum jubilationem, quicquam aliâs, quam in prædictis statutis disponitur, ullo unquam tempore de cætero facere, vel attentare audeant, seu præsumant, ac decernentes statuta hujusmodi, necnon præsentis literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & Cismontanæ Familiæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibuscumque dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogationibus derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat observari statuta quoad jubilationem.

Contrariis derogat.

§.7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die secunda Martii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Transumptis credi mandat.

Dat. die 2. Martii 1638. An. XV.

DLXV.

Ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ sunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ sunt in propriis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum, sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, diversæ extorsiones excessivæ a dilectis filiis Capitulo, & Canonicis secularibus, & Collegiæ loci de Veglie Brundusinae Diocesis, necnon etiam a diversis Parochis aliorum locorum fiant pro impedienda libertate electionis sepulture in Ecclesiis Ordinis hujusmodi, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in præmissis remedio providere de benignitate apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur dictum exponentem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Ordinariis locorum per præsentis committimus, ut provideant omnino, ne diutius abusus hujusmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ sunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ sunt in propriis, seu aliorum clericorum, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 2. Martii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Motiva.

Committit Ordinariis locorum prout in rubric.

Dat. die 2. Martii 1638. An. XV.

In-

DLXVI.

Indulgentia Plenaria ad Divinam operam implorandam.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Universis Christianis in Italia, & adjacentibus ei Insulis degentibus, salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium ab ipsa materia sumptum.

Publicæ quietis zelo ducti, licet pastoralis nostri muneri satisfacere cupientes Catholicos Principes multipliciter, & accurate ad mutuam concordiam etiam per Nuncios nostros Ordinarios, & Extraordinarios hortati sumus sperantes fore, ut ipsi aliquam opportunitatem pacis inter se constituendæ rationem inirent, eaque de causa dilectum filium nostrum Martinum S. Angeli in Foro Piscium Diacon. Card. Ginettum nuncupatum nostrum in Alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, Coloniam Agrippinam nostrum, & Sedis Apostolicæ de latere Legatum transmissimus, & divinum auxilium, etiam publicis precibus imploraverimus, attamen, quod non sine animi nostri molestia referimus; usque adhuc omnis labor, & studium impensum hoste humani generis zizaniam disseminante in vacuum cessit, nec Dominus complacitor apparet peccatis populorum divinam iracundiam irritantibus, diligit enim justitiam, & odit iniquitatem, sed misereri non obliviscitur. Ad communes igitur christiani populi penitentis preces, ut Deus animis Principum, conciliatis optatam pacem largiri dignetur denuo recurrendum duximus: Hoc autem, ut fructuosius, & majori cum spiritu ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium matris, & magistræ more ejusdem Ecclesiæ thesauros quorum dispensatores a Domino constituti sumus proferre, & erogare decrevimus.

Concessio Indulgentiæ præscriptæ hęc opera peragentibus.

§.1. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christiani fideles tam in Alma Urbe nostra, quam in reliqua Italia, & adjacentibus ei Insulis constitutos, apostolica auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infra scripta devote peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem catholicam protegere ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus Christianis pacem, & veram tranquillitatem donare, ac præcipue præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate quam Nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, Universis, & singulis

Christianis in Alma Urbe prædicta degentibus, qui Sancti Joannis Lateranen. Principis Apostolorum, Sanctæ Mariæ Majoris, & alias ejusdem Urbis Ecclesias, seu Basilicas, in quibus juxta distributionem a dilecto filio nostro in Urbe prædicta in spiritualibus Provicario Generali faciendam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice exponitur, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duorum mensium a die datæ præsentium computandorum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote ut supra Deum oraverint, ac peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter sumserint; cæteris vero extra Urbem prædictam in reliqua Italia adjacentibus ei Insulis degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæc nostra litera pervenerint, designandas, in quibus pariter Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum exponitur, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio quindecim dierum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, & alios, ut præfertur, faciende computandorum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, pariterque peccata sua confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & largimur.

§.2. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, supra scriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam religionis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet Ecclesiæ, seu Ecclesiarum visitationem, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius etiam ex aliâs approbatis ab Ordinariis locorum eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque inungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

§.3. Insuper omnibus, & singulis Christianis utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti in Urbe prædicta, ac reliqua Italia, ut præfertur, degentibus, qui

Impedit quid præstare debeant ad Indulgentiam consequendi.

Indultum eligendi Confessarium, cui nonnullæ facultates conceduntur.

qui Ecclesias prædictas, seu earum alteram novies continuis, seu interpolatis diebus, intra dictorum duorum mensium, & respective quindecim dierum spatium visitaverint, & inibi, ut supra oraverint, necnon feria quarta, & sexta, ac Sabbatho alicujus hebdomadæ intra dictum temporis spatium decurrenda jejunaverint, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis regularem, etiam ex alias approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflatis, necnon ab omnibus peccatis, & excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolica, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontific. Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientie, & hac vice tantum, non tamen a crimine hæresis absolvere, & liberare valeant; & insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis.

Idem quod in publicatio ab Ordinariis facienda.

§.4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientie districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati, ac quibuscumque ordinariis locorum in Italia, & adjacentibus ei Insulis existentibus, Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Causa, qui ex- cipiantur.

§.5. Non intendimus autem, per præsentia super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodocumque contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientie. Neque etiam easdem præsentia, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælate, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententiis, & censuris incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictorum duorum men-

sium, & respective quindecim dierum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, vel facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse, ad effectum præsentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

§.7. Ut autem præsentia nostra, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constituta munitis ubique locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Transumptis danda fides.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Martii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Dat. die 3. Martii 1638. An. XV.

DLXVII.

Quod Abbates Monasteriorum pauperiorum Congregationis Montis Oliveti, de licentia Procuratoris Generalis possint imponere unum, seu plures census pro sublevandis indigentibus eorumdem.

De hac materia vide Const. Exponi Nobis. hujus Pontificis Tom. præced.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

IN iis præcipue sollicitudinis nostræ partes libenter interponimus, per quæ regula-

Procedimus.

Motiva.

gularium personarum necessitatibus commodiori, qua fieri potest, ratione succurratur, cum non modo pastorale nostrum munus a Nobis id exposcat, sed ad hoc etiam paternus amor, quo illas diligimus, nos inducat.

§.1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Congregationis Montis Oliveti Procurator Gen., quamplurima dictæ Congregationis Monasteria, tum propter steriles quorundam annorum menses, aliasque calamitates ad eam devenirent egestatem, adeoque ære alieno gravata existant, ut illorum ordinarii redditus, & proventus ipsius æris alieni inter-usurio persolvendo, necnon Camera Apostolicæ oneribus, aliisque sibi incumbentibus oneribus supportandis non sufficiant: Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut super præmissis aliqua ratione providere de benignitate apostolica dignaremur.

§.2. Nos Monasteriorum hujusmodi indigentis paternam pietate prospicere, illorumque Superiores, & Monachos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati;

Concedit prout in sub.

§.3. Quod Monasteriorum Pauperiorum dictæ Congregationis Abbates, & Superiores de Abbatis, seu Procuratoris Generalium ejusdem Ordinis licentia, & assensu unum, seu plures census annuos usque ad pecuniarum summas, quas ipsi Abbas, seu Procurator Generalis hujusmodi illis necessarias esse judicaverint, in forte principali ascendentes ad rationem quinque pro centenariis super suorum Monasteriorum bonis imponere, illosque aliis ditioribus dicti Ordinis Monasteriis tantum alienare, seque, & dicta Monasteria, sive illorum bona ad solutionem censuum sic imponendorum, & alienandorum faciendam obligare; Monasteria vero ditiora hujusmodi pauperioribus Monasteriis prædictis pecuniarum summas eis necessarias ad census, seu pro censibus hujusmodi concedere, censibusque prædictis sibi, ut præfertur, vendendos, & assignandos recipere, ac instrumenta desuper necessaria, & opportuna celebrare respective libere, & licite possint, & valeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, dictisque Abbatibus, seu Procuratoribus generalibus Monasteriis prædictis ad pecuniarum summas illis necessarias, ut præfertur, concedendas cogendi, & compellendi plenam auctoritate, & tenore præfatis tribuimus facultatem.

Bull. Rom. Tom. VI, Par. II.

§.4. Decernentes præsentia literas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, pauperioribus vero Monasteriis prædictis plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.5. Quocirca omnibus, & singulis locorum ordinariis per præsentia committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentia literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Abbatis, seu Procuratoris Generalium, Monasteriorumque dictæ Congregationis, illorumque Superiorum, & seu alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentia, ac omnia in eis contenta ab omnibus, quos illa concernunt, integre, & inviolabiliter observari.

Executores deputat.

§.6. Contradictores quoscumque, & rebelles per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliisque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententiis, censuris, & poenis ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Transgressores puniri mandat.

§.7. Non obstantibus fel. record. Pauli Papæ II., aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, illiusque Monasteriorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§.8. Volumus autem, quod census hujusmodi sic, ut præfertur, imponendi, quantum fieri poterit, extinguantur: quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Transumptis credi jubet.

S

Da-

1638. Dat. die 12. Aprilis 1638. An.XV.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die decimasecunda Aprilis 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DLXVIII.

Ex Regula in Secreti. brev.

Confirmatio Decreti R. C. A. super pretio Aluminum Status Ecclesiastici.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Expositio Appaltatorum Aluminum Status Ecclesiastici ad eorum pretium augendum.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Appaltatorum Generalium Alumeriarum Status Ecclesiastici, & eorum Subappaltatorum in Civitate nostra Bononien. Nobis expositum fuit, quod vertente inter ipsos ex una, ac dilectos filios Tinctorum, & Pellionem dictae Civitatis, aliosque consortes ex altera partibus lite super pretio aluminum, fuit in plena nostra Camera Apostolica per dilectos filios eiusdem Camerae Praesidentes Clericos, & alios Camerales resolutum, pretium aluminum huiusmodi esse augendum usque ad baj.fex, quando venditur minutatim, quando vero venditur, ut vulgo dicitur all'ingrosso ad bajocos quinque cum dimidio, & alias prout in dicta resolutione, & instrumeto publico desuper confecto plenius dicitur contineri.

Pertinet confirmatio Resolutionis super hoc emanata a Camera Clericis Praesidentibus

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti Exponentes resolutionem huiusmodi, quo firmius subsistat, & inviolabiliter observetur, apostolica confirmationis robore communi, & alias desuper opportune provideri summopere desiderent.

Pont. eandem confirmat.

§.3. Nos eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictam Praesidentium Clericorum, & aliorum Camerales huiusmodi resolutionem, apostolica auctoritate, tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolica firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, omnesque lites super praemissis motas, ac appellationes, si quae sint interpositae status, & merita illarum, causasque, & occasiones, ac personas, & iura partium, nominaque, & cognomina iudicum, & litigantium, necnon controversiarum praedictarum qualita-

tes, & circumstantias, etiamsi specialem, & individuum expressionem requirerent, praesentibus pro expressis, & insertis habentes extinguimus, & abolemus, ac tam praedictis, quam omnibus, & quibuscumque aliis iudicibus ordinariis, & delegatis quacumque auctoritate fungentibus, etiam causarum nostri Sacri Palatii Apostolici Auditoribus, & S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, necnon tinctoribus, & aliis lites huiusmodi consortibus perpetuum silentium desuper imponimus, & impositum esse volumus.

Clausulae apponit.

§.4. Decernentes, praesentes Literas nullo unquam tempore, etiam ex eo quod aliqui etiam speciali nota digni in praemissis interesse habentes, aut habere pratendentes ad hoc vocati, seu auditi non fuerint, nec desuper consenserint, aut ex alia quavis causa, vel praetextu de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, vel retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari, aut concedi posse, sed semper validas, firmas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari, & adimpleri; Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, distaeque Camerae Praesidentes clericos, & alios officiales, ac etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & desiniri debere, irritumque, & inane, si secus fuerit, & quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, d. Civitatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Aprilis 1638. An.XV.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Aprilis 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Quod

DLXIX.

Quod Sacerdos celebrans in Altari Cappellae Sanctae Catharinae Senensis super Mine rvan pro anima alicujus defuncti liberet eam a poenis per modum suffragii. Conceditur praeterea Indulgentia plenaria pro visitantibus d. Cappellam. in ejus die festo Communionis refectis.

Plures Summi Pontifices concesserunt similes Indulgentias diversis Regularibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa hujus Constit.

§.1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius noster Antonius S. Agathae Diaconus Cardinalis Barberinus nuncupatus noster secundum carnem ex fratre germano Nepos, Ordinis Sancti Dominici apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, pro eximia sua in Deum pietate, ac erga Sanctam Catharinam Senensem, dicti Ordinis devotione, Cappellam olim cubiculum dictae Sanctae Catharinae in Urbe existens, cum suis parietibus, incrustationibus, & picturis antiquis in eo existentibus transferri ad Ecclesiam Beatae Mariae super Minervam Domus Regularis dicti Ordinis de eadem Urbe, & prope Sacristiam dictae Ecclesiae collocari curaverit;

Concedit pro ut in rubr.

§.2. Nos eandem Cappellam spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare volentes, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi: Ut quodcumque Sacerdos aliquis secularis, five cuiusvis Ordinis Regularis Missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare dictae Cappellae celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur.

Prohibet mulieribus sub excommunicationis poena, ne Cappellam ingredantur.

§.3. Itaut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii poenis liberetur, concedimus, & indulgemus. Insuper mulieribus cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non possint nisi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi, ne Cappellam praedictam ingredi audeant, seu praesumant, praeterquam in in die festo ejusdem Sanctae Catharinae Senensis, quo die mares eo devotionis causa confluentes, sub eadem poena illam ingredi non possint, districte prohibemus.

Indulgentiam plenariam enlargatur eam visitantibus.

§.4. Omnibus autem, & singulis feminini sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quae dictam Cappellam die festo Sanctae Catharinae praedictae a primis vespere usque ad occasum solis diei huiusmodi Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam: Universis vero, & singulis masculini sexus Christianis, etiam vere poenitentibus, & confessis, ac sacra eadem communione refectis, qui eandem Cappellam in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, ac Annunciationis, & Assumptionis Beatae Mariae Virginis, necnon Sancti Dominici festis diebus a primis vespere usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote similiter visitaverint, & ibi ut praedicitur, oraverint, etiam plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ceterum spirituali consolationi dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum nunc, & pro tempore existentium nobilis, & antiquae domus, & familiae nostrae Barberinae consulere volentes, eisdem mulieribus nunc, & pro tempore existentibus, ut una cum aliis mulieribus eas comitantibus, ac cum suis matronis, & ancillis praedictam Cappellam ultimo dictis quatuor festis diebus absque ullius poena propterea incurfu ingredi, eisdemque mulieribus etiam comitantibus, ac matronis, & ancillis vere poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quae Cappellam huiusmodi ultimo dictis quatuor festis diebus, ut praedicitur, visitaverint, & ibi ut supra oraverint, quod eandem Indulgentiam plenariam, & remissionem consequantur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valiturus.

Familiae Barberinae peculiare indulget concedit.

Contrariis derogat.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 22. Maii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Dat. die 22. Maii 1638. An.XV.

DLXX.

Quod Provincia Romana Fratrum Cappucinatorum subiciatur Generali, & in ejus absentia Procuratori Generali eorumdem, eo modo, quo caeterae Provinciae.

Istius Ordinis materiam habes in Const. XLV. Gregor. XV. Ex injuncto Tom. V. Par. IV. fol. 416. Et in Const. Salvatoris. hujus Pontif. ut infra.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Injuncti Nobis a Domino apostolici muneris ratio postulat, ut Religiosorum virorum, qui spretis huius seculi vanitatibus divini Numinis obsequiis sub suavi religionis jugo, & strictioris observantiae regulis se mancipaverunt, paternam curam gerentes, in his ejusdem muneris partes sedulo intendamus, per quae prospero, feliciter.

Procedimus.